

in carta membrana compositis per Venerabile Capitulum Nonensis Ecclesie uel eius Capituli notarium plenius apparerebat et eiusdem Ecclesie sigillo impendente munimine sigillatam seu Capituli prope dicti. Nunc vero comprehentibus contrahentibus prenotatis coram nobis Andrea Archipresbitero, Bucardo, Jacobo Primizerio, canonicis et Capitulo maioris Ecclesie Spalatensis, ad dicta officia in nostra matrici Ecclesia antedicta congregatis exhibitisque coram nobis dictis litteris sub appensione Sigilli pendentis dicti Capituli Nonensis, predicti Paulus et domina Radoslawa Iugales, contenti et confessi fuerunt, se rehabuisse et recepisse ac manualiter eis datos et muneratos fore dictos ducatos mille auri a dicto Gausina, quos confessi fuerunt se habuisse et recepisse ut supra, exceptioni non eis datis, non traditis et non restitutis dictis ducatis, omnino renunciantes, et ob hoc non vi, non dolo nec metu deducti, dicti Paulus et domina Radoslawa et quilibet eorum per se dederunt, cesserunt et reffutaverunt per se et suos heredes et successores eidem Gausine pro se suisque heredibus et successoribus stipulanti et recipienti omne ius, omnemque actionem generalem et partialem, utilem et directam, quod et quam habent in omnibus et singulis bonis contentis in presentibus literis et in literis Nonensis Capituli supradictis, positis in comitatu Tininij et extra territorium et districtum ciuitatis Traguriensis, que bona dicti iugales aquisierant vel alter eorum tam titulo donacionis, quam et emphitestice locationis, vel aliter quomodo, dummodo dicta cessio et reffutatio ad bona posita in ciuitate vel districtu Traguriensi nullatenus se extendat; volentes, quod dictus Gausina amodo deinceps possit et valeat de dictis villis, rebus et bonis, tamquam de rebus suis proprijs suam facere omnimodo voluntatem; constituentes se dictas villas et bona omnia supradicta, existentia in dicto Comitatu Tininij, dicti Gausine nomine possidere, donec ipsarum rerum possessionem acceperit corporalem, quam accipiendi eidem auctoritatem et licentiam omnimodam concesserunt. Et dictus Gausina remisit et refutauit ac penitus relaxauit eidem domine Radoslaue Victum et vestitum, ad quod eidem erat obnoxia, virtute literarum predictarum superius expressarum; et hoc, quia videbatur, quod aliter non poterant quiete et pacifice commanere nec conuenciones predictas attendere bono modo. Promittentes dicte partes una alteri et altera alteri, dictas reffutationes, daciones, restitutiones et remissiones predictas ratas, gratas et firmas habere et tenere, attendere et obseruare per se et suos heredes et successores, et non contrafacere uel uenire per se vel alium seu alios de iure vel de facto, sub pena Quingentarum librarum parvarum, solvendarum per partem non attendentem parti obseruanti; que pena tociens possit exigi cum effectum, quociens fuerit contrafactum; et pena soluta vel non, predicta omnia firma producent et sub reflectione omnium dampnorum et interesse et expensarum litis et extra; pro quibus omnibus attendendis obligauerunt sibi vicissim unus alteri et alter alteri omnia bona sua presentia et futura. Nos igitur supradicti Archipresbiter, primicerius, canonici et Capitulum Ecclesie Spalatensis, harum serie universis et singulis tam presentibus quam futuris quibus expedit vel expedire foret, per presentem paginam significamus, quod omnibus et singulis in presenti pagina contentis fecimus duas literas testimoniales, nostre ecclesie predictae Sigillo et Capituli impendente munimine roboratas, super omnibus et singulis in presenti pagina annotatis. Sub Anno domini Millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia decima die XII. mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi in christo patris et domini